

absque unctione regali regnabant reges in neustria
id est in gallia. et in austria id est germania et per ma
iores domus sub eis omnia. Pippinus ex alia matrona
genuit karlum et Capionem. Nam dum causa uenationis
in arduenna silua ad quandam regiam uillam nocte
deuenisset, post epulas aliqua filiam eius que in eadem
uilla uaccas regias pascebat concubitum appetiuit.
Que concipiens puerum peperit. Quod cum Pippino epu
lanti natum nuntiaret. interrogauit utrum masculus
an puella esset. Cui cum nuntius propter assidentem plec
trudem obscure loquens. nollet masculum dicere.
respondit. karl natum esse. Plectrudis attente au
scultans. et hoc tenuiter aure percipiens dixit cum
irrisione. Guali geth en carl. quod potest lati
ne dici. Cuge illum baronem uel uirum. Nam karl
dicitur lingua francorum significare posse uel uirum uel
masculum. non proprietate uerbi sed circumlocutione
sensus. sicut solent uulgo appellare baronem eum
uirum quem uel honoribus uel opibus ut uiribus amplum
laudant. Pippinus non curans quid Plectrudis dixerit.
dixit. Ita nomen habeat. et inde uocatus est karlus.
Qui Pippinus tenuit principatum xxvii annis. Kar
lus episcopatus regni francorum laicis hominibus et comi
tibus primus dedit. ita ut episcopis nichil potestatis in rebus
ecclesiarum permitteret. Hic multos fiscalinos in ho
noribus exaltauit. Hoc apud altum uilare legit
domnus abbas Wibaldus.

11. London, British Library, Add. 21109, fol. 183[V]